



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Sebastiani Henrici Penzingeri, Consistorialis
Passaviensis, Decani, & Parochi in Trauttmanstorff ad
Laitam Bonus Ordo Triplicis Formatae Concionis Moralis In
Omnia Festa Sanctorum In Amplissima ...**

Penzinger, Sebastian Heinrich

Solisbaci, 1698

Disc. XXXVII. Angelorum decus. Angeli, sibi gratulantur tantæ Virgini
servire dignari.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51763](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51763)

DISCURSUS XXXVII.

Ministros & custodes Angelos habet, Maria Regina Angelorum.

Regulam generalem ponit S. Justinus Martyr in Re- Exordium.
 sponf. ad Quæst. 30. *Quò major, dignior, & ho-
 noratior, ob gratias divinas, & dona caelestia, lo-
 cus aut persona est, eò plures Angelos, in custodiam
 & ministerium, illi loco, vel persona Deus tribuit.* Non u-
 num, sed plures Angelos magnifico Salomonis templo Al-
 tissimus attribuit ministros, quorum ministeria damno suo
 expertus est Helidorus flagellatus: Non unum, sed plures
 Angelos sanctæ civitati Jerusalem in custodiam Dominus
 misit, ad cuius excidium lapides clamare auditi sunt: *Fu-
 giamus ab hinc, fugiamus.* Non unum, sed duos Angelos
 devotissimæ suæ famulæ Francisæ, exemplari romana-
 rum matronarum Idææ, ut in ejus vita refertur, Deus as-
 sociavit: quantò magis ergò Mariæ Dei Matri, quâ post
 Deum, neque in terris, neque in cœlis dignior locus est,
 aut persona, divina Majestas, non unum, sed omnes An-
 gelos suos in custodiam, & in ministerium præordinavit,
 ac proinde Maria Virgo illa dignissima Angelorum Regina
 est, quæ Angelos sibi ministros habet, & custodes. Veri-
 tatem auctoritas sanctorum Patrum confirmet. *Sufficere* SS. Patres,
debet tantum notitia humana, beatam Virginem vere fateri
Reginam cœlorum, pro eo, quòd Regem pepererit Angelorum.
 scribit magnum Ecclesiæ lumen S. Augustinus. tom. 10. in ^{S. Augusti-}
 Append. serm. de Diversis. serm. 83. Et iterum: *Intelli-* nus.
gentia angelica est famula, super quam Domina sua Maria in-
nititur in cœlo; innititur certè tanquam familiarissima, se
Angelis sociando; innititur etiam tanquam delicatissima, in

ll 2

An-

- Angelis delitiando; innotuitur in super tanquam potentissima Angelis imperando. Nulli dubium, castissimum corpus, & sanctissimam animam ejus funditus ab omni fuisse maculâ peccati, jugi Angelorum custodia protectam, utpote aulam, quam suus & omnium Creator Deus, corporaliter inhabitaturus, & ex quâ hominem, in sua persona Unitate, ineffabili fuerat operatione suscepturus. perorat S. Anselmus. de Excellent. B. V. cap. 3. Necessarium erat, ut non unus solummodo Angelus Mariæ inserviret, sed decies centena millia eam circumdarent.*
- S. Gregori^o Nicomediensis.* ponderat S. Gregorius Nicomediensis. Orat. de Oblatione B. Virg. *Omnes angelici spiritus, sunt hujus gloriosa Virginis ministri atque servi: quomodo enim non essent servi illius, per cujus Filium, eorundem facta est purgatio, illuminatio, & consummatio, id est, gloria consummata perfectio, atque meritò habent de illâ omnes caelestes spiritus confiteri & dicere illud 4. Reg. 10. Servi tui sumus, quacumq; iusseris, faciemus.*
- S. Bernardiⁿ Senensis.* discurret S. Bernardinus Senensis. serm. 3. de Nomine Mariæ. art. 3. cap. 3. *Iuste Regina mundi & Regina caeli dicitur, per quam utriusque Creator & Rector generatur. ait S. Bernardus. serm. 1. super salve Regina. Ac tandem concludit Richardus à S. Laurentio. Aquila est regina volucrum, & Maria Regina Angelorum. Sub alas caelestis hujus aquilæ volitemus, ejusque celsitudinem, Spiritu sancto afflante, dignis Conceptibus profundius contemplemur.*

CONCEPTUS I.

- Confirmatio, seu Deductio.* Lectulum suum sexaginta viris fortissimis munit terrenus rex Salomon, non alio utique fine, nisi ut in eo tantò tutius quiesceret, utpote cum regium lectulum fortia munimenta decerent: *En lectulum Salomonis, sexaginta fortes ambiunt, ex fortissimis Israël, omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi, uniuscujusq; ensis super femur suum. Sed quis divini Salomonis, Verbi caro facti, incarnatæ Sapientiæ, in quo quieverat, lectulus fuit? Certè molliorem & accommo-*

modatiorem sibi Dei Filius in terris lectulum invenire non potuit, quàm benedictæ inter mulieres Virginis Mariæ uterum, in quo novem mensibus suaviter quiescere complacuit; Si ergo pro decentiâ regium suum lectulum terrenus rex Salomon sexaginta viris fortissimis Israël munivit; majori multò convenientiâ divinus Salomon Unigenitus Filius Dei, lectulum suum Mariam Dei Matrem, sexcentis Angelorum principibus circumdedit; ita interpretatur hæc verba Honorius Augustodunensis, in Cant. *Maria lectulus Christi circumdatus est sexaginta fortissimis Israël, nempe supremo Angelorum choro, quem inferiores Angelorum chori naturaliter & rationabiliter sequuntur, ita ut ad Mariæ obsequium, ad Mariæ custodiam, omnes angeli sese præsentent, suæq; coronata Regina fideliter inserviant.* concordat Richardus à S. Laurentio, lib. 10. de Laud B. V. *Ostenditur in hoc loco, quòd ad custodiam & obsequium beata Virginis, non inferioris, sed superioris dignitatis Angeli deputati sunt, cum dicitur, quòd hunc lectum ambiunt sexaginta fortes de fortissimis Israël; nam beatam Virginem ambiebant diligenti custodia, & reverentiâ obsequiosa, angelici spiritus, fortes inter fortissimos spirituum, qui pro eo, quòd assiduâ contemplatione Deum conspiciunt, Israël nomine designantur.* Confirmat S. Bernardus in Deprecat. ad B. V. *Innumerabilium beatorum spirituum militiam, ad ministerium tantæ Principis delegatam fuisse, nullatenus dubitamus, utpote qui custodirent lectulum Salomonis gratissimum, ac providerent, ne præparatum æterno Regi hospitium, alienus hospes invaderet.* Quam igitur Angeli turmatim custodiunt, an non sit Regina angelorum.

CONCEPTUS II.

Hortum conclusum, Mariam Virginem intitulat Spiritus sanctus Cant. 4. cap. Hortus conclusus soror mea sponsa. Verè hortus deliciarum Dei Mater est, in quo pulcherrimus il-

le flos agri JESUS Christus excrevit, conclusus utique, & circumseptus, ne fraudibus ac dolis inimici pateret intrefus: Verum quis hortum istum adeò arctè circumsepivit? Multitudo Angelorum custodiam agens, undique circumdedit eam, quam ipsi Reginam jubilantes decantârunt. Anno Domini 590. sedente Gregorio piæ memoriæ summi Pontificis tam ferociter pestis Romæ grassabatur, ut quotidianus morientium numerus plus quàm millenus fuerit, in hâc miserîâ refugere ad MARIAM monet populum sanctus Pontifex, & cum miraculosâ Mariæ Majoris imagine publicam Processionem instituit, sub qua Paschalem Antiphonam cantantes de cœlo Angeli universim auditi sunt. *Regina cœli lætare, Alleluja.* Propria confessio optima proba, sed nonne Angeli, cœlestes sunt Spiritus? Si ergo Reginam cœli lætantes, decantavêre, Reginam quoque Angelorum deprædicabunt jubilantes, eidemque ut cœlestes vassalli æternum deservient. *O igitur miser homuncio!* (exclamat Pelbartus Temesuar, in Stellario. lib. 5. Part. 3. art. 3.) *qui non vis honorare, & revereri beatissimam Virginem, quam honorant omnes Angeli, Reginam suam,*

CONCEPTUS III.

Reginarum est, subditis & vassallis esse superiorem in omnibus, non enim cum subjectione regia stat majestas; an non Angelis superior in omnibus Maria Virgo fuit? Mores Angelorum, mera virtus est; Mariæ virtutes, & morum integritatem ipsi Angeli mirantur, quærentes: Quæ est ista? Cant. 8. unde Richardus à S. Victore, cap. 26. in Cant. *Angeli sam in terrâ adeptæ est puritatem, & Dei similitudinem in virtutibus & sanctitate, ac morum perfectione, justa, pia, prudens, modesta, misericors, sancta mente, & corpore.* Vita Angelorum est tenera innocentias, supra Angelos qui cecidère, innocentiam Virgo Maria conservavit nive candidior, nunquam denigrata. Ita Bernardinus de Busto, in Mariali.

riali. Part. 9. ferm. 2. in Festo Nativit. Per albedinem nivis figuratur innocentia, & puritas immaculata Virginis, qua nunquam fuit maculata, vel denigrata per aliquod peccatum; erubescant ergo illi, qui hanc nivem candidissimam, nigram quandoque fuisse, ostendere conantur. Sensus Angelorum Deo obedire est; supra omnes Angelos conformis voluntati divinæ voluntas Mariæ fuit, cujus velle erat Dei velle, dicitur Lucæ 1. cap. *Fiat mihi secundum verbum tuum.* Cogitatio Angelorum, servire Deo est; præponderans Virgo, respondit Angelo sibi misso in obsequium. *Ecce ancilla Domini.* Lucæ 1. cap. Voluntas Angelorum est, Dei sui mandata exequi; Maria superbam luciferi inobedientiam, obedientiæ suæ humilitate supplevit. *O felix obedientia! O insignis gratia!* (exclamat S. Augustinus. Tom. 10. ferm. 2. de Annunt.) *quæ, dum fidem humiliter dedit, cæli in se Opificem incorporavit.* Amor Angelorum in Deum, tener affectus est in hominem, non supra homines tantum, & Angelos, sed supra omnem creaturam charitate in Deum & proximum ardentissima est Virgo Maria, neque nos homines adeò quis diligit, aut adeò nobis affectus est, quàm creaturarum Domina, cæli, terræque Regina. Alloquitur eam S. Brigitta ferm. angel. cap. 4. *O omnium consolatio, Virgo Maria! hoc ipsum tu es, ad quod Angeli principio suæ creationis, tantâ arserunt charitate, quòd licet ex suavitate & charitate, quam ipsi in Dei visione, & appropinquatione habebant, ineffabiliter letabantur, plurimum tamen ex eo gavisum sunt, quòd tu ipsi Deo, eis propinquior fieri debebas, & ex eo, quòd majorem charitatem, majoremque suavitatem, quam ipsi habebant, tibi noverint reservari.* Angelorum denique officium est, homini ministrare, eum protegere ac custodire, & ad hoc à Deo mittuntur, canente Psalmista. *Angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.* Psalm. 90. & scribente Apostolo ad Hebr. 2. cap. *Omnes sunt administratori spiritus, in ministerium missi, eorum, qui hereditatem capiunt salutis.* Non missa à Deo, neque

neque

neque demandata, sed maternis pietatis visceribus commota misericordiae Mater Maria longè excellentiora Angelis beneficia hominibus præstat, omni Angelo potentius tuetur, ac protegit, gratiosissima hominum Patrona & Advocata. Beneficia hæc innumera recenset S. Epiphanius serm. de Laud. B. V. *Per te enim, O sancta Virgo! medius obstruccionis paries, inimicitias dissolvit; per te pax caelesti donata est mundo; per te homines appellati sunt amici, servi, & filii Dei; per te homines meruerunt esse conservi Angelorum, & cum eis familiariter conversari; per te mors conculcatur, & spoliatur infernus; per te ceciderunt idola, & excitata est civitas caelestis, per te cognovimus Unigenitum Filium Dei, quem sanctissima Virgo peperisti, Dominum nostrum Jesum Christum.* Præstet hæc Angelus, si possit, & cum non possit, longè superiorem sibi in omnibus, Reginam Angelorum, veneretur MARIAM.

CONCEPTUS IV.

Duodennis Jesus, Dei & Mariæ Filius, ut in his, quæ Patris sui sunt, esset, in medio Doctorum permanfit in templo, conquisitus autem inter cognatos & natos à Joseph & Mariâ cum dolore tribus diebus, ac tandem cum gaudio inventus, descendit cum eis in Nazareth, *Et erat subditus illis.* Luca. 2. cap. Quisnam est ille, qui Mariæ & Joseph subditus erat? Nonne is, qui dixit Matth. 28. cap. *Data est michi omnis potestas in cælo & in terrâ.* Respondet S. Bernardus, Hom. 1. super missus est. *Deus inquam, cui Angeli subditi sunt, cui principatus & potestates obediunt, subditus erat Maria; mirare Matris excellentissimam dignitatem.* Sed si Deus Mariæ subditus fuit, nonne omne, quod Deo subditur, Mariæ quoque subditum fuisse credendum est, Angeli, Principatus, & Potestates, Deo sunt subditi, qui Mariæ subditus fuit, ergo & Angeli, Principatus, & Potestates subditi sunt Mariæ: totum concedit S. Bonaventura, in Spec. B. V. lect. 3. & cum eo S. Au-

S. Augustinus. Omnibus Angelis Maria instituit suo imperio: unde Augustinus ait; Michael dux & princeps militiae caelestis, cum omnibus spiritibus administratoris tuis Virgo paret praeceptis, in defendendis in corpore, & in suscipiendis de corpore animabus fidelium, specialiter tibi Domina, die ac nocte se commendantium. Quibus subjungit S. Petrus Damianus Angelicam dignitatem Maria debilitat, ut in comparatione Virginis, Angeli apparere, nec velint, nec possint. Dignissima ergo Angelorum Regina.

Indignum est homini, non venerari eam, quam Deus ^{Epilogus.} ipse in terris Matrem coluit, cui Angeli tanquam Reginae suae obsequiosè famulantur, illi & nos quotidiano cultu, Reginam caeli & terrae exclamantes, serviamus usque in finem, admoniti à Ven. Beda ferm. de S. Mariâ. *Serviamus semper tali Reginae Mariae, qua non derelinquit sperantes in se, cum diligat Christus sanctorum orationes, & exaudiat, multò magis Matrem suam exaudit pro peccatoribus orantem. Amen.*

*Virgo coronata est stellis, super Astra levata,
Gaudet honore Matris, regnat in arce Patris,
Ergo te Dominam locat orbis, & astra Re-
ginam
Dum resonabit Ave, Mater utriq; fave.*



m m

DI.